



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

312. Qualiter Presbyteri & Diaconi agant pœnitentiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut nullus Episcopus alterius civitatis vel parrœchiæ pœnitentem suscipiat, vel sine Episcopi vel Presbyteri testimonio reconciliet. *Ex epistola Felicis Papæ.*

CCCIX. Curandum summopere est ne quis fratrum coëpiscoporūmque nostrorum aut etiam Presbyterorum in alterius civitate vel dioceſi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum sed dixerit, sine Episcopi vel Presbyteri testimonio & literis, ad cuius pertinet parrœchiam, suscipiat.

Felix III.
epist. 7. c. 6.

Ut Presbyteris & Diaconibus manus tanquam pœnitentibus non imponatur.

Ex Concilio Carthaginensi.

CCCX. Confirmatum est ut si quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos à ministerio necesse sit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur.

Concil. Car-
thag. 5. c. 11.
Burchard. lib.
19. c. 72.

Ut pœnitentia Clericis non negetur. *Ex*

Concilio Arelatensi.

CCCXI. Pœnitentiam desiderantibus Clericis non negandam.

Concil. Are-
lat. 2. c. 29.

Qualiter Presbyteri & Diaconi agant pœnitiam. *Ex epistola Leonis Papæ.*

CCCXII. Alienum est à consuetudine ecclesiastica ut qui in presbyterali honore aut Diaconi gradu fuerint consecrati, hi pro cri-

Decreta Leo-
nis I. c. 16.
Burchard. lib.
19. c. 71.

K iiiij

1. Reg. 2.

mine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi, secundum quod scriptum est: *Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo?* Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expectanda secessio; ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Ut à negotiatione pœnitentes abstineant.

Ex epistola Leonis Pape.

Decreta Leoni
nis 1. c. 23.
Halitgar. lib.
3. c. 6.
Rhab. epist.
ad Heribald.
c. 15.
Burchard. lib.
19. c. 95.

CCC XIII. Qualitas negotiandi aut excusat aut arguit, quia est honestus quaestus & turpis. Veruntamen pœnitenti utilius est dispensia pati quam periculis negotiationis astringi: quia difficile est inter ementis venditisque commercium non intervenire pecatum.

Ut post depositum cingulum nullus pœnitens ad militiam secularem redeat.

Ex eadem.

Decreta Leoni
nis 1. c. 24.
Halitgar. ibid.
c. 7.
Burchard. lib.
19. c. 66.

CCC XIV. Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem, cum Apostolus dicat: *Nemo militans Deo &c.* Unde non est liber à laqueis diaboli qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.

De eadem re. *Ex Concilio Arelatensi.*

Council. Are-
lat. 2. c. 25.
Burchard. lib.
19. c. 67.

CCC XV. Hi qui post sanctæ religionis propositum apostatant, & ad seculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, communionem non accipiant sine pœnitentia. quos etiam jubemus ad cleri-